



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 429. Usque Ad Annum 483

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1759

VD18 90117816

§. 15. Epistola Theodreti ad Dioscorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66052](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66052)

Sæculum V.

A.C. 447.

To. I. to. 4.

*Præf. in
Eran.**Dial. 2. p.*

101. 110.

Dial. 3. p.

167.

In hoc secessu, ad quem coactus receperat, scripsisse creditur suum Eranistum, aut Polymorphum, quos libros appellavit, quia credidit, errores in iis se oppugnatos, esse veterum Hæresum colluviem. Erat vero præcipuus error opinio dicentium, unicam in Jesu Christo dari Naturam; quos nempe nimis zelus contra Nestorianos in Hæresin oppositam agebat. Hoc opus in tres Dialogos dividitur; primo titulus est: *Immutabilis*; quia in eo Auctor demonstrat, Verbum, Carnem assumens, non fuisse mutatum. Secundum Nomen habet: *Inconfusus*, ubi probat, Incarnationem factam sine duarum Naturarum confusione. Tertium dixit: *Impassibile*. Inter Patres Orthodoxos citat Theophilum Alexandrinum, & S. Cyrillum, atque Patres Latinos æque ac Græcos sine crimine adducit. In fine varios Sylogismos subjunxit, ut rursus tria hæc vera esse asserat; Verbum Immutabile, commixtionis Impatiens, & Impassibile.

§. XV.

*Epistola Theodoretæ ad Dioscorum.**Ep. 87.*

Quos Theodoretus in dicto opere oppugnare aggreditur, erant, ut ipse improbat, obscuræ vitæ homines, qui solis sceleribus innotescere poterant; id congruit quibusdam Monachis in Oriente

riente, seu ut alibi dicit, quibusdam Cle-
 ricis ex Ofroene, qui, Alexandriam ve-
 nientes, Theodoretum insimulabant, quod in Sermonibus Antiochiæ habitis
 Jesum Christum in duos Filios divide-
 ret. Eundem errorem Episcopis Ciliciæ
 tribuebant. Hac super re Dioscorus A-
 lexandrinus ad Domnum Antiochenum
 litteras dedit, quibus speciatim contra
 Theodoretum conqueritur. Is ad Dios-
 corum scripsit, ut se purgaret, atque in
 Innocentiæ testes adducit multa millia
 Auditorum, qui perorantem Antiochiæ
 auscultassent, dum quindecim, haud plu-
 res, accusatores essent. *Docui, inquit:*
sub Theodoto, beatæ memoriæ, sex annis,
annos tredecim sub beato Joanne, qui me
audiendo adeo delectabatur, ut, sæpe exi-
liens, manibus plauderet, jam sub Sancto
Episcopo Domno septimus annus fuit, &
usque in hanc diem nullus Episcoporum,
Clericorum nullus quidquam deprehendit,
quod in meis orationibus argueret. An-
 nus Domni septimus, Christi 447mus
 est.

Sæculum V.
 A. C. 447.

*Ep. 83. ad
 Diosc.*

*Sup. lib.
 XXVI. §. 46*

Theodoretus deinde sancte affirmat,
 velle se Patrum vestigiis insistere, & Fi-
 dem Nicænam conservare. Fidem suam
 de Incarnatione explicat, quæ Catholi-
 ca est. Libros suos citat, in quibus Au-
 thoritatem Theophili, & S. Cyrilli ad-
 hibuit, quod Eranistum denotat. Tum

Dd 3 sub-

Sæculum V. subjungit: *Credo, te non ignorare, C*
A. C. 447. *villum beatæ memoriæ sapius ad me li*
teras dedisse. Præterea, quando suos con
tra Julianum libros, atque Tractatum de
Hirco emissario Antiochiam misit, Bea
tum Joannem Antiochenum rogavit, ut
eos celeberrimis in Oriente Doctroribus
stenderet. Hos Joannes ad me misit, ut
sine admiratione legi, quid sentirem Cy
rillo perscripsi; respondit ipse, diligen
tiam meam, & affectum laudans. Ha
litteras servo. Theodoretus Epistola
finem imponit adjecta hac Fidei Profes
sione: Si quis non dicat, S. Virginem ()*
esse Matrem Dei, aut si dicat, Dominum
Nostrum Jesum Christum esse purum Ho
minem, aut si Filium unicum, & Primo
genitum ex omni Creatura in duos divi
dat, nulla ei in Jesu Christo spes sit!

Ep. 84.

Ep. 85.

Scriptit simul Epistolam Circularem
 ad utriusque Ciliciæ Episcopos, qua edo-
 cet, quosdam existimare occasionem Ca-
 lumnia, in eos vulgatæ, inde originem
 ducere, quod pauculi inter ipsos Verbum
 Incarnatum in duas Personas dividant.
 Textus S. Scripturæ profert, expressissi-
 me Unitatem Personæ probantes; duos
 illos

(*) Hic Theodoretus pulcherrimum Proce-
 tantibus exemplum dat, Beatissimam Virginem
 omissa voce: *Sancta*, nude Mariam nominanti-
 bus. Et hoc ante duodecim Sæcula.

illos ex S. Paulo: *Unus Dominus JEsus Sæculum V. Christus.* Et iterum: *Unus Dominus, una Fides, unus Baptismus!* Et ex Evangelio: *Nemo ascendit in Cælum, quam qui de Cælo descendit, Filius Hominis, qui est in Cælo.* Et rursus: *Si ergo videritis Filium Hominis ascendentem, ubi erat prius.* Theodoretus Episcopus hortatur, ut eorum audaciam reprimant, qui vel ignorantia, vel contentionis vitio hanc Doctrinam impugnant; *Si tamen verum est, inquit: aliquos dari, qui impugnent, & non potius confictum mendacium sit.*

§. XVI.

Theodreti Epistola ad Flavianum.

Dioscorus non solum Epistolæ Theodreti nullam rationem habuit, sed etiam permisit, ut Accusatores ejus publice in Ecclesia Alexandrina ei Anathema dicerent; ipse e Sede sua exurgens, clamavit cum cœteris: *Anathema!* necdum satis; Episcopus Constantinopolim misit, qui Theodoretum, & Orientales Hæresis accusarent. Hinc Theodoretus per Epistolam, ad Flavianum datam, queritur in hunc modum: *Misi ad Dioscorum unum ex Presbyteris nostris cum litteris Synodalibus, quibus aperiebam, quod Paci sub Cyrillo, Beatæ Memorix, inita, insistamus, Ipsius Epistolam nobis probari,*

D d 4 nos-